



Scientia Sanctorum

Collecta Ex Meditationibus Ludovici De Ponte, Joannis Busaei, Joan. Suffren, Juliani Hayneufve, Et Antonii Gaudier, &c. E Societate Jesu, In Dominicis, Festa & ferias totius Anni digesta. Cum Indicibus duobus. I. In singulos dies. II. Ad Exercitia Spiritualia

Puente, Luis de la

Dilingæ, 1685

5. De tempore Incarnationis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60561](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60561)

- Cant. 8.** Deum, accendebat desiderium videndi illum in
1. terris conversantem, ut in Canticis: *Quis mihi det te fratrem meum, sugentem ubera Matris mee, (factum hominem) ut inveniam te foris, & deosculer?*
- 3.** **Zelus,** Præterea urgebat illam zelus divinæ gloriæ, à cuius notitia & obedientia totus mundus aberrabat, nec non cura salutis humanæ: ut proinde voces illas Patrum assidue usurparet; *Excita potentiam tuam & veni, ut salvos facias nos, &c. Et salutare tuum da nobis.*
- Psal. 79.** **3. & 84.** **8.** *Aperiatur terra, & germinet Salvatorem.*
- Is. 45. 8.**

MEDITATIO V.

De tempore exhibitæ Redemptionis.

PUNCTUM PRIMUM.

Promissa Redemp.

CUm homo peccâisset, & mortis sententiam Deus in illum ferret, misericordiæ recordatus, statim ei remedium promisit, per semen mulieris, quod est Christus. Magni interest, ut, qui lapsus est, continuo resipiscat: dum autem futurum Mediatorem Deus promittebat, ad pœnitentiam & reconciliationem jam tunc invitabat, nam in fide veniri justificari statim potuerunt.

PUNCTUM II.

**Oppor-
tuno tē-
pore.**

QUam opportunitatem Deus captat sui consilij exequendi. Attollam oculos in personas divinas decernentes, sicut olim. *Faciamus hominem: ita jam subveniamus lapso. Dein convertam*

vertam me ad homines in terra degentes, omni flagitiorum genere coopertos, cum summa veri Dei ignoratione, imò etiam sibi divinitatem arrogantes, & ipsum quoque Dei populû, planè moribus corruptum, itaque affectum, ut non esset venientem Salvatorem recepturus, sed ei potius necem illaturus. Atque hoc mundi statu, ut veniat, decernitur: quasi captata occasione, ut per improbitatem sui populi neci datus, hanc ipsam verteret in remedium, quod & factum. Vide charitatem non averfantis peccatoris: vide misericordiam tali modo subvenientis.

PUNCTUM III.

CUr non venerit ab initio, duæ sunt causæ. Causæ
1. Ut morbo invalescente, magis apparet necessitas remedij, ac medici virtus. 2. Ut magis desideratus veniret, plurisque fieret beneficium. Gratulabor mihi, quòd me vivere contigerit, postquam exhibitus est, ut participare valeam copiosius de plenitudine illius.

MEDITATIO VI.

De missione Gabrielis, & Salutatione Virginis.

PUNCTUM PRIMUM.

EXpeditur legatio ad Virginem. 1. *DEVS* S. Trinitatis legatio.
mittit: summa dignatio! *Quid est homo,* quod
L 4